

## CAPUT XII.

**D**IETA absolvitur legitimo sex rerum non naturalium usū: aēris, cibi & potis, somni & vigiliarum, motus & quietis, excretorum & retentorum, animique pathematum.

§. 1. AER alienæ qualitatis expers sit & temperatus, aut frigidiusculus, non fumosus, qui fauces exasperat, nec fuliginosus aut ventosus: sit mediocriter illuminatus: externum corporis habitum non attingat, in primis caput & pectus, quæ bene contegenda.

§. 2. Cum morbus sit acutus, vi c t u erit utendum tenui, juxta Hippocratis (f) monitum. Trallianus & Paulus mulsum (f) s. a. aquosam ad tertium usque diem, poste à verò cremorem ptisana apk. 7. offerunt.

§. 3. In cibandis tamen ægris respiciendum ad morbi efficaciam, viriumque conditionem, ne plus justo exhibitum morbum augeat, nec minus justo vires prosternat. Cumque nostrates ejusmodi tenuem viatum difficulter ferant, loco mulsa aquosa, jusculta pullorum, gallinarumq; ad tertium usque diem offeremus: poste à verò jus caparum consumatis, ova sorbilia, & pullorum carnes tutò exhibentur.

§. 4. Vitanda sunt aromata, quæ sanguinem in vasis calefaciunt, & materiam attenuant.

§. 5. Abstineat quoque æger ab iis, quæ qualitate aliqua maligna prædicta sunt, & anginæ peculiariter adversari putantur, uti sunt fungi & cerasa.

§. 6. Cum autem frequentissimè eveniat, ut æger penitus deglutire nequeat, quid tum agendum? Castellus duo proponit media, quibus in hoc casu liquor aliquis nutriendis ad ventriculum pertingat. Quidam, inquit, cannulam intra gulam immittere jubent, ac deinde liquidum alimentum per eam infundunt. Qui quidem faciendi modus haud inutiliter excogitatus est, dummodo